

*na sit Christus homo, altera Maria, tertia Josephus, quod Christum pro originali quidem peccato, non autem actualibus satisfecisse somniant, quod justificari ex operibus cupiunt, quod vires hominis naturales amplificant, quod Baptismum putidis ceremoniis maculant, quod calicem in Coena Laicis subtrahunt, quod Christo, uni mediatori, sanctos cœlitesque adjungunt, purgatorium statuunt, imagines adorant, hæc vero, aliaque id genus, numero plurima, Papatum constituunt, ac absolvunt. Quis autem hæc talia originem ducere a Deo, ac non potius a Diabolo, patre erroris ac mendacii, dixerit?*

§. XXIX. At enim vero non id omne quod *in Papatu* ac *sub Papatu* fuit, impium, aut erroneum ac rejiculum fuit. Sedet enim Anti-Christus *in templo Dei* 2. *Theff. II, 4.* quod omni veneratione dignum est, seu Anti-Christus in eo sedeat, seu non sedeat. Distinguatur triticum a paleis, aurum a scoriis, illud quod verum ac Christianum fuit, ab eo, quod est Papisticum. Fuit *in Papatu*, ac *sub Papatu* Ecclesia, fuit semen Ecclesiæ verbum & sacramenta, fuit innixa Dei verbo religio, fuit penes aliquos sincera fides, & charitas, quis improbet hæc ac rejiciat? Christianæ religionis in Papatu *reliquie* non sunt confundendæ cum invectis a filio perditionis erroribus, ac corruptelis. *Ille* Deo, & Spiritui veritatis, *hec*, Diabolo, & spiritui mendacii debentur. *Illas* retinuit, asseruitque, & amplificavit Lutherus cum sociis: *has* improbat, auctoribusque suis reliquit. Per *illas* quidam in Papatu servati, per *has* plerique damnati sunt.

§. XXX. Denuo igitur distingui debet inter Ecclesiam *visibilem* ac *invisibilem*. Etsi enim hanc vulgo rideant Pontificii, & nescio quam *Utopicam* Ecclesiam nos somniant, est tamen fundata distinctio in Scripturis, quæ docent, eo usque corrumpi posse externum visibilemque voca-

to-